Br 24315 X 20

ECLIPSEOS SOLARIS
DIE XXI. IVLII.

AD

MAGNIFICVM
DN. RECTOREM CHRISTOPHORVM PELARGVM THEOLOGIAE DOCTOREM ET PROFESS. PVB.

ac

Reliquos inclitæ Academiæ Francofordianæ proceres, V. Reuerendos & clariss.

CONSIDERATIO

Michaelis Abeli Francof.

SCHLES: VATERLÆNDISCHE GESELLSCH:

Francofordiæ Marchionum
ANNO M. D. XC.

Stadt Bibliothek

OBERSCHLESISCHE LANDESBIBLIOTHEK

461795 I

DE ECLIPSI SOLIS.

TIber vt astra stato DEVS ordine lucida torquet,
Lege suaq; poli conuenienter eunt.
Ipsa futurorum causas natura ministrat,
Ritè volutatæ stant remeantq; vices.
Vt semel omnipotens ortus pater edere iussit,
Haud mutant solitos illa vel illa gradus.
Officij sed alacre decus per secula seruant,
Hic nec adhuc vllo fragmine cursus hiat.
Luna quòd obscuris defectibus obsita candet,
Phœbus & abstrusis ipse laborat equis:
Voluit oborta vagis haud passibus alea sortis,
Sed sua curriculi transtra meatus habet.
Acribus hinc adeò ingenijs ea semita nota est,
Conspicua genus id cum ratione patet.
Est ita: non ob idem, quod sint ea cognita doctis,
Esse futurorum quis monimenta neget.
Seu tamen existunt eadem præsagia tantùm,
Inq; globi, nihilum, membra iacentis agunt.
Siue supernorum Nemesi sua robora miscent,
Quæq; mouent nutu damna cauere monent.
Fidus & est certè noxam qui prædocet autor,
Vt præuisa minus spicula cladis alant.

Publica cras roseo, cum lux nascetur Eoo,
Tertiaq; exortum vexerit hora diem:
Subtrahet ingrato sua lumina squalidus orbi
Qualis obinducto nuptus, Apollo, sinu.
Liuor in ora fluet ferrugine mistus opaca,
Et veluti vultus deficientis erit.
Cumq; dei facies bis sex assurgat in vlnas,
Dodrantale sacra luce carebit opus.
Ne tamen atratis mundum nox implicet alis,
Vitabit miseras pars quotacunq; cruces.
Læta parùm toti surgent spectacula genti,
Luridulam radijs quæ videt ire diem.
Nec decet vt brutis hæc aspiciamus ocellis,
Qui sumus æthereæ conscia corda plagæ.
Quale grauem Xerxes nimium præfractus in hostem
Lusit, vt obducta veste latere deum.
Omina Penelopes Sponsi risère, sed iidem,
Sanguine mox proprio saxa domumq; linunt.
Neu tamen hunc recto obtuitu speculere laborem,
Pulcra, cauere malo disce, iuuenta, meo.
Officit offensi quia contemplatio Phœbi
Visibus, ægrota pupula luce redit.
Obstantes igitur radij ne lumina stringant,
Per liquidas latebram de speculator aquas.
Aut puræ speculum properes submergere lymphæ,
Vnde repercussæ fulgat imago rei.

Tuta:

Tuta sit obtenta quondam transenna papyro,
Quam tenui cautus perforat autor acu.
Vidi ego in abstrusam qui se præcluserat ædem,
Quam premeret tenebris clausa fenestra suis.
Clara per angustum lux intromissa foramen
Scribet in obscuro tortile schema loco.
Incrementa rei motumq; vicesq; supernas
Repræsentabit motibus vmbra suis.
Charta duabus item vitreis inclusa tabellis,
Vtile, visuro mira, diploma dabit.
Tu pellucidulas hyalino lumine quadras
Accipe, diuersus tingat vtramq; color.
Iunge pares, medio foliumq; interfere chartæ,
Charta sit antè leui peruia facta stylo.
Hoc, ostenta videns, oculis obtende specillum,
Visibus officiet non nitor ille tuis.
Hoc potes & reliquos inuestigare planetas,
Stant Solis quoties astra propinqua iugo.
Est aliquid certè tales prænoscere casus,
Æthereasq; hominem carpere posse vias.
Cernere, purpureo, rerum quid in axe geratur,
Quosq; dij teneant ille vel ille situs.
Defectus Lunæ primus prædicere vates
Qui valuit, magni numinis instar erat.
Forsitan & quæras ecquid præsagia portent,
Quasuè Planetarum flebilis ira minas.

Dicam equidem, licet oſtentorum haud fata moratur
Summa terens ætas, ſignaq; litus arant.
Si quid habet veri generoſæ calculus artis,
Cærulus Vraniæ quam profitetur apex:
Ignea temperies ſiccis dominabitur auris,
Vſta laborabit terra perinde ſiti.
Alma Ceres toſtis paſsim flacceſcet in aruis,
Nec data cum ſolito fœnore reddet ager.
Ipſe labor Phœbi tractus corrumpit hiantes,
Porta necaturis febribus ampla patet.
Quodq; magis dirum, Phœbe defecit eodem
Menſe, parum dextro conſpicienda loco.
Væ vobis (odioſa parit præſentia cladem:)
Si qua ſub inuiſo regna leone iacent.
Luna gradum referens à limite Martis obuſti,
Protinus obuerſi lumina ſolis obit.
Arguit occultis inſtare tumultibus anſas,
Plebis & inſanæ vis metuenda venit.
Hiſco, vel incautis quæ regnatoribus inſtent,
Dum metus eſt, Orci ne quis ad antra meët.
Quandò potens altè gliſcit fiducia rerum,
Sceptorumq; flagrans vndiq; regnat amor.
Fœderibus pactisq; viri ne fidite regum,
Conuentis nimium credulus ipſe luat.
Vos quibus acta ducum ſceptriq; negotia curæ,
Datq; coronigera munus in arce fauor,

Eſte

Este cati dominos fasces tractare: stat Hermes
Dirus, & è furui carceris æde ferit.
Adde duos centum transactis messibus annos,
Cæca fuit Phœbo deficiente dies.
Schematis euentus cui stat prædicere nostri,
Sedulus illius temporis acta legat.
Ad viadrum varios casus sensêre Silesi,
Fœdera cum Turco rege Polonus init.
Post duo lustra iterum cessit Sol mersus in vmbras,
Francigeno caperis Maxmiliane dolo.
Improba confuso tremuerunt bella tumultu,
Enecuit regem Scotia dira suum.
Turca ferox hostis Venetas inuadit, & vltro
Dalmaticos diro milite vastat agros.
Ter tribus exactis post ordine messibus, aufert
Fraternis iterum Cynthia lumen equis.
Innumeræ diris conflagrant ignibus vrbes,
Imperium letho deseruêre duces.
Tecta viriq; fera cœli periere ruina,
Emicat, vt densis, fulmen & ira, globis.
Quid moror in priscis, restant ingentia restant
Nos quoq; consimili, damna, luenda modo.
Nec leo grande fremens, aut falx Saturnia, nedum
Torrida Gradiui stella feretur iners.
Ah tantùm ne triste comens Ecclesia cladem
Sentiat, horridulum ferre contacta caput.

Vincimur

Vincimur his equidem corpuſcula ſubdita fatis,
Grandius humanis viribus inſtar habent:
Ni Deus obſiſtat frenisq; tenentibus arctet,
Si quod ab æthereis curſibus omen abit.
Tunc at oberrantes caſus ac damna coërcet,
Cùm videt admiſsi pœnituiſse reos.
Cùm manet effrenis culpæ ſententia mordax,
Perfurit inuictis vltio dura modis.
Qui cupit à patrijs clades auertere muris,
Aſtra ſubacturas intonet vsq; preces.

FINIS.

Biblioteca Universitaria Salamanca